



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Philippi Servii Amicus Fidelis Usque Ad Mortem

Bouchy, Philippe

Coloniæ Agrippinæ, 1660

Caput Primum. Æger, Amicum deligat, cui animæ sua curam fidenter
credat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54799](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54799)

3
AMICUS FIDELIS
USQUE AD MORTEM:
S I V E

MODUS JUVANDI
MORIBUNDOS,
ÆGRIS, SANISQUE
PERINDE UTILIS.

CAPUT PRIMUM.

*Æger, Amicum deligat, cui anima sua
curam fidenter credat.*



TATIM ubi periculo-
sæ ægritudinis indicia
deprehenderit, Ami-
cum fidelem advoca,
qui te in ancipiti mox
agone luctantem diri-
gat, juvetque ad obtinendam æter-
næ salutis palmam.

Amicum fidelem hîc appello,
qui solandis juvandisque moribun-
dis sedulam navat operam, quique,

A 2 quod

quod experiens medicus est agro
corpori, hoc ipse est mentis agritu-
dini: sive id agat ex officio, sive ex
charitatis zelô,

Multa de veræ amicitia laudibus
sacri, profanique. Auctores præ-
scripserunt, hos inter, Socratem di-
cere solitum accepimus, nullam esse
possessionem pretiosiore vero bo-
noque Amico: Ecclesiasticum lo-
qui diceres; sed perinde est ex aure bô-
ne, an ex tubo fictili lymphâ pro-
fluat; dummodo limpida sit: vultif-
ne ut illam ex ipso Spiritus Sancti
fonte depromamus? nimirum:

Purius ex ipso fonte bibuntur aqua.

*Amicus fidelis protectio fortis: qui au-
tem invenit illum, invenit thesaurum.*

*Amico fideli nulla est comparatio, &
non est digna ponderatio auri & ar-
genti contra bonitatem fidei illius.*

*Amicus fidelis medicamentum vite &
immortalitatis.*

O te felicem, Amicq̃ fidelis, quæ
hæret

In Ecc. 6. v. 14, 15. 16.

laudum tuarum præconem talem
nactus es!

S. VI.

*Amico fideli diligenter expen-
denda.*

INtelligat in primis Amicus fide-
lis, quanti momenti opus aggre-
diatur, nempe operum divinorum,
ut ait Dionysius, divinisimum; in
quo de æterna Amici salute agitur,
quo in opere si quis error admitti-
tur, nullâ vel industriâ vel labore
reparatur. Quare Lamachus Centu-
rio apud Lacedæmonios non igno-
bilis, sapienter admonebat non per-
inde errari in bello atque aliis in re-
bus, quòd error ille sit irrepara-
bilis, alii non item. Idem dixerim
de errore in hoc bello spirituali: *si
a enim ceciderit lignum ad Austrum, aut
ad Aquilonem, ibi erit.*

Cùm ergo ad agrum vocaris, velim a-
A 3 pud

a Eccles. II.

apud te putes Providentiam Divinā
uti velle ministerio tuo, ut animulā
unam sibi longo carissimā ad op-
tata salutis portum adducas : ō ter
beatum, si Deo tuo, in opere tam ex-
imio fueris cooperatus! Si justus est
qui te vocat, alloquio tuo spirituali
animatus, fidei, spei vel caritatis a-
ctus forsitan aliquos excitabit, qui-
bus cœlum ditior ingredietur, eam-
que, beatitudinis suæ partem, indu-
striæ tuæ, æternum acceptam feret.
Quòd si peccatorum sarcinam apud
alium prius deposuerit quàm tu ad
illum adieris, captata occasione, ali-
quas contriti cordis lacrymas eli-
cies, illud que saltem consequeris, ut
ignes purgatorios celerius evadat,
Deoque suo, operā tuā adiutus, ali-
quanto citius perfruatur.

Quid quod non rarò ad eum evo-
caberis, cujus salus in dubio est? imò
qui animæ jacturam facturus est, nisi
protinus suppetias adferas? Deus bo-
ne! quo tandē animo in tē futurū ex-
istimas, si, quod avertat Deus, ille ad
quem

quē adire neglexisti, ignibus addiceretur æternis? à quibus tamen cū verbis duobus asserere potueras: quas non flammæ, quas non furoris faces in caput tuū ejaculaturus est? melius ominor: quàm lætas, quàm jucundas depromet voces animi memoris indices, quisquis operâ tuâ & industriâ viderit sese è periculosis mundi hujus fluctibus eductum, in tutissimo salutis portu conquiescere? crede mihi, pro referenda gratia Deum precibus sollicitare non desinet, usque dum in cœlo gaudii tantū socium habuerit, cujus obtinendi tã bonum in terris nactus est adiutorē.

Quod si beati (ut loquar cū Scriptura) fraudari nequeunt à desiderio suo, intelligis opinor, Amice fidelis, quàm utiliter operam locas, atque adeò cū moribundos adjuvas, te non magis illorum saluti, quàm gloriæ tuæ velificari. Nam si Apostolo, Philippensibus, quos ad pietatē erudiebat, dicere licuit: *a Gaudium & corona omnes vos estis*: quomodo non

a Phil. 4.

A 6

erunt

AMICI FIDELIS

erunt gaudium & corona tua, quos
ad gaudium coronasque cælestes
quasi manu duxeris? Age ergo, ani-
mos magnos indue,

— *Neque enim ludræca petuntur Præ-
mia.*

Venabitur tecum in eodem saltu
tartareus Cacodæmon, sciens a quod
modicum tempus habet. Rabiem ejus
acuet merus, ne anima illa locum e-
jus in cælis occupet: proinde casses
pedicasque expediet, fraudes dolos-
que suos omnes advocabit: Tu ne
cede dolis, aderit fortior ab alto
Deus, in cujus ope, tota spes rei be-
nè gerendæ constituenda est. Eò ita-
que suas, suorumque preces diriget
Amicus fidelis, ut ægris quos adju-
vandos susceperit. Numen Divinum
propitiet, quod ut facilius assequa-
tur, sibi minimum, Deo, ut dixi,
plurimum confidat, & curationes
omnes suas ab hac precatiuncula au-
spicetur.

*Bone Iesu qui me inter te, & hunc famu-
lum tuum N. medium esse voluisti, licet
a Apoc. 12. in me*

in me boni operis testimonium non agnoscas, officium tamen credita dispensationis non recuses: ne per me illius salutis pereat pretium, pro quo victima factus salutaris copiosum sanguinem effudisti.

§. II.

Quenam potissimum in Amico fideli desiderantur?

TRia debet ægro Amicus fidelis: obsequium, compassionem, si-
ve doloris, ex dolore ejus, signifi-
cationem; nec non consolationem.
Hisce considerationibus ad id operis
excitet sese. 1. An non ego fortuna-
rus, cui nobilis hæc provincia obti-
git, in qua, vitæ suæ partem non exi-
guam posuit Christus Servator
meus? 2. O quàm jucundum erit in
decretorio illo extremi judicii die,
audire verba ista mellea! a *Ve-
nite benedicti Patris mei; possidere reg-
num, &c.* Æger fui & visitastis
A s me,

a *Mat. 25.*

me, in luctu eram, & consolati estis me. Si casu dolet digitus, confestim ad illum juvandum oculorum orbem convertuntur. Si læsus est pes, sine mora pedi manus opitulatur. Nonne sumus unius corporis membra? Absit ergo, ut alter alteri, quod in nobis erit, caritatis hoc obsequium denegemus, aut malignè præstemus.

Amici fidelis intentio purissima esse nec aliò ferri debet, quàm ut anima, Christi redempta sanguine, finem suum, qui est æterna beatitudo, consequatur.

Optandum est ut non mediocriter versatus sit in rebus spiritualibus, & ut prudentiam gratiamque habeat cum omni hominum genere utiliter conversandi: aliter cum doctis & ingeniosis, aliter cū indoctis ac rudibus gerere se debet: illis, pauca & selecta; his, paulò plura, eaque magis explicata suggerenda erunt; neq; semper eodē modo cū his, vel cū illis procedendum: Videndum enim an qui invisuntur sensibus adhuc vi-
geant,

geant, an fortè morbus reddiderit illos hebetiores: videndum an graviter, an leviusculè cum doloribus cōflictentur. Habenda interdum circumstantium ratio, quibus subindè opportunè dicta prodesse poterunt. Cavendum autem ne uno contextu, ne properanter nimis, ne uno tono dicantur omnia; filum de industria interrumpendum; silentioque indulgendum; ut æger audita melius digerat; & crebrioribus interrogationibus fortè fatigatus non nihil interquiescat.

Verba ipsa candida sint, fuci omnis expertia; loquēdi modus natus ab omni fastu & affectatione remotus. Benè fecerit Amicus fidelis, si res ipsas quæ dicendæ sunt, modumque dicendi ac ordinem præmediteretur: nam si aliis in negotiis, in hoc maxime videndum est quid; quando; quomodo, quatenus.

S. Ignatius Loyola, part. 4. const. c. 8. §. 7. Curandum est, inquit, ut, ea quæ ad benè moriendū conse-

runt, quique modus in eo tempore
 in quo tantum est momenti ad fi-
 nem ultimum æternæ felicitatis
 consequendum, vel ab exciden-
 dum teneri debeat, intelligatur.
 Sacerdotibus verò, qui evocan-
 tur ad juvandos eos qui morti
 vicini sunt, præscribitur, ut ea in-
 promptu habeant quæ usui esse
 possint: utque tamdiu illis ad-
 sint, quamdiu sola necessitas po-
 stulabit.

§. III.

*Quid maximè observandum Amico
fidei.*

QUOD primò dictum oportuit, di-
cam modò,

*Idque unum repetens, iterumque, ite-
rumque monebo.*

Amicus fidelis, quocumque tan-
dem tempore ad ægrum evocetur,
moras omnes abrumpat, negotia a-
lia, quamvis in speciem urgentia tan-
tis seponat, & negotium hoc, ne-
gotium negotiorum existimet. No-

VIS

vit animarum hostis quantæ vel momento uno rerum conversiones fiant, novit quantum boni moribundo affert Pastoris vel alterius Sacerdotis præsentia, cujus verba (incantamentis suis omnibus potentiora) immanè quantum perhorrescit; ut ut proinde mirum non sit eum, unde unde curarum semina accersere, morarum causas innectere, consutis dolis quamplurimos ex quovis ferro lignove obices fabricare, quibus à morientium tabernaculis, Parrochi in primis, aliique Sacerdotes arceantur. Expertus id est, sed cum ingenti animi sui dolore Beatus Severus Pastor, cujus meminit S. Gregorius Dialogorum suorum lib. 1. cap. 12. qui rogatus ut moribundo præsens adesse vellet, jam mox venturum se recepit ubi negotiolū, quod præ manibus erat, absolvisset. Substitit ergo tantisper, dum vineæ suæ palmites qui pauci supererant, rescuisset; id enim operis illi tum præ manibus erat. Sed heu!

A 2

Suffo

Suffocant parva commoda magna mora.
Ante mors ægro vitam, quam ille vitem, sive vitis suæ palmites amputavit: documento futura sanctis etiam Sacerdotibus, periculosum esse, in hoc animarum negotio tergiversari. Venit interim Beatus Pastor, qui ubi hominem expirasse vidit, propius nihil factum est quam ut & ipse cum illo expiraret. Ergo miserum se inclamare, vineam suam ut curaret, Domini vineam neglexisse, tarditatem suam incusare, eique tam acerbæ mortis causam adscribere, imò verò morte crudeliorem se fuisse: illam, corpus; se verò, animam peremisse. Precibus denique, lacrymis singultibusque obtestari, hanc ut sibi noxam remittat Deus, eamque nolit defuncto fraudi esse. Hæc ille funeri affusus tam mœsto, tam lugubri carmine ingeminabat, ut ejus, mortales, immortalesque caperet miseratio: Deus ipse, cui proprium est misereri semper & parcere, servo suo in diligentiam hanc condonavit; &
ne

ne tam graviter affecto animo mœ-
roris nexu ullus resideret, eum qui
vivere desierat; in Amici fidelis gra-
tiam, ad vitam revocavit. Quid hic
illi (exclamat Anonymus Monacen-
sis) quos morituri non è vinea, sed
vini tabernâ vocant, & sæpè, heu!
frustra vocant, qui tamen ab inferis
revocare animos non possunt, sequi
possunt? Hinc interim, discat Ami-
cus fidelis, moribundorum causis nõ
indormire, aut ad eos non oscitanter
accedere: quemcumque periclitari
de vita, vel solo rumore acceperit,
non expectet usque dum advocetur,
ultra ipse ad amicum nec invitatus
advolet.

Monebat olim Democritus, ad
nuptias celebresque alios convivio-
rum, vel ludorum apparatus, ami-
cum invitatum ire debere (ad exe-
quias verò, ad morbos lugubresque
& infortunatos rerum eventus de-
bere eundem etiam non invitatum
properare. An non id Christianis
potius quàm Ethnicis faciendum?

Imite-

Imiteretur Amicus fidelis eum, qui ex vero fidelis Amici nomen sibi vindicare potest, & de cujus fideli & cōstanti amicitia præclarū illud extat testimonium. *a Cū dilexisset suos, in finē dilexit eos* Vocatus ille ad Centurionis servulum nihil cunctatus: *b Veniam, inquit, & curabo eum.*

Dicat aliquis: diligebat Lazarum Jesus, restantur id per breves illæ quidē, sed amoris plenissimæ litteræ: *c Domine ecce quem amas infirmatur.* Quid, quod ejus gratia lacrymatus est Jesus, & ita lacrymatus, ut circumstantes dicerent admirabundi: *Ecce quomodo amabat eum!* quid tū postea? Et tamen admonitus de ejus infirma valitudine, remansit nihilominus in eodem loco duobus diebus priusquā ad eum adiret. Frustra es mihi amice, si tarditati tuæ futilem hanc excusationis telam prætextueris, quasi verò non potuerit Christus absens per æquē atque præsens Lazaro opitulari: Sciebat ille, quod *etiam te est, quid ad suā Patriq; gloriā cōduce-*
Ioan. 13. b Matt. 8. c Ioan. 11. 166

ret magis Quādo vitæ mortisq; cla-
ves habebis sicut ille; quando mori-
bundum, si fors ante moriatur quā
tu adveneris, ad vitam arbitrari tuo
suscitare poteris, per me licet, quā
diu voles, remorare.

Paragrapho huic non parum lumi-
nis afferet quod narraturus sum, &
est tam recens, ut vel ideò qui nar-
randi potestatem fecit, nominandis
personis abstinendum censuerit.

Cū, non ita pridem, secundū
mensam, ex more nostræ Societatis,
in locum piis colloctionibus, &
honestæ animorum relaxationi de-
stinatum, Patres frequentes conve-
nissent, sermoque casu incidisset de
fructu, qui ex ægrorū visitationibus
proveniret; P. Provincialis qui unā
præfens aderat, casum in consilium
vertit, utque omnes ad id operis
(quod tam Deo gratum, tam saluta-
re proximo noverat, animaret, rem
in medium attulit, quæ non potest
non stimulos addere etiam spon-
te currentibus. Unus, inquit, è Pa-
tribus nostris recens obiit, vobis non
igno-

igno-

ignotus, qui alteri, quo cum peculiaris quædam amicitia (quatenus cautio religiosa pariebatur) caritatis glutino coaluerat; & ut firmaretur magis, ita inter ambos convenerat, ut ei qui prior objisset, præter solita Religionis nostræ suffragia, orationum sacrificiorumque pensum aliquod superstes persolveret: quod dum facit, ecce tibi semel, iterum ac tertio apparet, modò modestè ambulans meditabundo similis, modò aggeniculatus similis oranti. Rogat socius quomodo tandem cum illo agatur; respondet se propediem id enunciaturum: nec mora longa intercesserat, cum iterum adest, rogatusque iterum ecquid sibi hætenus ad feliciter abfuisse; unum, ait, sed quod erat instar omnium; nempe jucundam domum cælestis (quam jam jam adiurus sum) possessionem. Postularus ubinam locorum hæssisset hætenus; respondit se majorem partem temporis degisse ubi nullus doloris sensus, nec ulla pœnæ acerbitas, ni-

si ejus, quam Theologi pœnam dâ-
ni vocitant, quæ animis separatis à
corpore longè gravissima accidit,
ob divinæ visionis, ad quam anhe-
lant, subtractionem. At, jur amabo,
Dominus Deus divini vultus sui co-
piam huic famulo suo ad tempus de-
negavit?

Arrigite aures, animosque adver-
tite, ô vos omnes quibus invisendi
ægros, sive ex officio, sive ex anima-
rum zelo munus incumbit. Causa,
inquit, quamobrem resolutio corpo-
ris carcere, locisque lustralibus su-
peratis, animus absque mora ad Deû
suum non evolaverit, hæc est, quòd
in invisendis juvandisque moribun-
dis, dum vita sinebat, tardior fuerim
ac negligentior; quam tarditatem
ac negligentiam ut expiarem, jussit
Deus me hic resistere, quorsum? eo
sine ut ubi vis gentiû ac locorum, a-
nimâ agentibus præsto essem, eosq;
in morem Angeli tutelaris, quâ pre-
cibus, quâ monitionibus internis,
salutaribusque inspirationibus adju-
varem,

varem, & sic, quod ^{virtus} ~~unus~~ neglexerā,
mortuus resarcirem. Velim autem
scias, mihi uni nō esse hoc singulare:
sunt, non modò ex nostro, sed etiam
ex aliis ordinibus benè multi, qui e-
tiam nū indiligentiā suam in vilendis
solandisq; moribundis simili modo
expiant. His dictis, socium valere ius-
sit, & in cælū tandē, latus evolavit.

Quid hīc primum mirer? locine, an
expiatus novitatem? locum esse ali-
quem pœnæ omnis ac cruciatus ex-
pertē, ubi liberæ corporibus animæ
ideò attinereutur, quòd Dei sui vi-
sionē beatificā remissè nimis deside-
rassent; cum ex S. Birgittæ revela-
tionibus Concilio Constātiensi pro-
batis, tum ex Gregorii Magni, Bedæ
Venerabilis, aliorumq; Doctorum
monumentis, inaudieram, nec diffi-
culter adducebat ut crederē, eorū-
que rationibus assentirer: est enim
animi nimis remissi judiciū non par-
vum, non amare medullitus flagran-
tissimisq; desideriiis ad eū non anhe-
lare qui sponsæ testimonio *totus est*
deside-

desiderabilis, vel, ut habet alia versio, *torus desideria*, Illud verò, mirū magis consimili pœna multari eū, qui moribundis obsequium, atque illū, qui Deo suo amoris debitū non persolvit. Voluit nēpe Dominus Deus, ut, vel ex hoc præjudicio coniceremus quanta caritate, non modò se, sed & proximū nostrum prosequi deberemus, cujus neglectum parī, ut ita dicam, animadversione castigat.

Attendant hīc qui non tantum caritatis, sed, & justitiæ lege moribundis obligantur: nam si bonis alioquā Sacerdotibus ac Religiosis, ideo cælum ad tēpus clauditur quod in hoc caritatis munere remissiores fuerint; nōne meritò verendum est, ne hi (si officio suo defuerint) cælo penitus excludantur?

§. IV.

Amicorum fidelium par nobile.

A Mici fidelis numeros omnes, ad amissim callebat, atq; ad eò explebat S. Ignatius, Societatis Jesu Patens ac Fundator, vir juvandis hominibus

minibus verè natus: calluisse, probat
 industriæ, quas sociis de modo adju-
 vandi moribundos in Constitutioni-
 bus ac Regulis scriptas reliquit: ex-
 plevisse verò, egregia in primis ex-
 empla quæ passim toto vitæ ejus de-
 cursu videre est. Unū affero, ex quo
 de reliquis fiat cōjectura. Cùm mē-
 dicato ægrè vitam toleraret Lutetio
 Parisiorum, tempusque quod stipi-
 corrogandæ tribuebat studiis dece-
 dere doleret, statuit ad Belgas annis
 singulis excurrere, ut ab Hispanis
 mercatoribus, qui ibi negotiabantur,
 pecuniæ subsidiū in sumptus annuos
 emendicaret, & sic paucorum dierū
 jactura molestas studiorum pertur-
 bationes redimeret. Feliciter cessit
 consiliū: tantū enim quotannis pe-
 cuniæ referebat, quantū sibi alteriq;
 socio satis erat ad parcè, modiceque
 vivendum. Sed ô! dæmonisne dicam
 invidiam, an ingratiissimi hominis
 perfidiā? exiguā illā pecuniam, haud
 exiguo quæsitā labore, suo illi cōtu-
 bernali servandā Ignatius cōmiserat.

VOCIA

ovē, lupo, quā rotā clepsit homo triū
litterarū, furtimq; abstulit, & mise-
rum Ignatium eas in angustias rede-
git, ut rursus, magno studiorū incō-
modo, quotidie mendicare cogere-
tur. Rothomagum aufugit ille, ubi
dum idoneā navigandi in Hispaniam
tempestatem operitur, in morbum,
eumq; periculosum incidit. Quid a-
gat, quō se vertat? ride, sodes, immō
verō stomachate: furunculus ille,
perinde atque si Ignatiū singulari a-
liquo beneficio sibi obstrinxisset ad
eum de suæ valetudinis infirmitate
scribit, quin & opē auxiliūmq; ab eo
postulat. Eam nimirū de eius carita-
te longo usu opinionē imbiberat, ut
neq; ingratitude aquis extingue-
dam, neque perfidiæ fluminibus ob-
ruendam certo certius crederet: ne-
que eum sua fefellit fides, Ignatius
enim, qui in omnem occasionem ju-
vandi proximos excubabat, oblatam
hanc avidissimè arripuit, & videte
quam in Amico fideli requirimus ce-
leritatem ac diligentiam. Rothoma-
gense

gense iter, quod tridui erat, sine viatico, nudis pedibus, jejunus, & ita jejunus ut ne aquam quidam gustaret, ingenti spiritus alacritate percurrit, quærendi juvandiq; hominis gratiam, a quo tam insigni recentique injuriâ affectus erat.

Non destitit dæmon, more suo, remotas obicere, & cælo dignum hoc facinus solitis artibus disturbare: cū enim se in viam, quo diximus animi robore, dare vellet, tãto subito terrore correptus est, ut neque pedibus satis cōsistere, neq; vestimenta induere posse videretur. Egreditur tamē; & ante lucē ex urbe Parisiēsi egreditur; subsequitur tētator euntisq; pedes nescio quo torpore ita ligat ac degravat, ut si plūbei facti essent: ea tenus duravit ea, sive gravitas, sive torpor, quoad superato quodam collis juge, in planū ac spatiosum campum tandē evasit. Ibi dæmonis fractæ vires, Amici verò fidelis reparatæ; ibi tanta divinitus luce perçusus, tanta alacritate, tanto spiritus ardore in-

cony

cēsus, ut omni prorsus molestia, corporisq; depulsā torpedine, quasi cervus currere, & volare magis quā ambulare videretur. Tāti refert obstātia statim ab initio retinacula solve-
re, ruptisque difficultatibus seipsum generosè superare. At nondū perveni quò volebā. Rothomagi debilitatū hominē offendit, fraternæ caritatis memor, imemor injuriæ? jacentē erigit, solatur verbis, re & opera adjuvat, neq; bene ei velle atque aded facere desinit, usq; dū revalescat, sanitatemq; cōfirmet; confirmatū iam suisque nitentem viribus in Hispaniā mittit, cum commendatitiis litteris ad suos. An non est hoc Amici fidelis numeros ad amussim omnes exple-
re? Quid interim ille? tandem, tandē infidelitatem suam detestari; admirari autem Ignatii caritatem, & tantum non obstupescere: postremò divino numini gratias agere, quod suis ipse oculis eum conspexisset, qui officio cum offensa certaret, malefacta beneficiis ulcisceretur & perfidiam

B

fides

fidelitate tam insigni compensaret.

Injurius sibi in Sanctum Franciscum Xaverium, nisi illum Sancto Ignatio adjungam, Patri, filium. Ille, ut moribundis magis ad manum esset, non aliud usquam diversorium quam ægrorum deligebat. In Mozanbici valetudinario, dum moribundis sublevandis operam navat, ipse in morbum incidit, exemplum nepe futurus, quibus hactenus fuerat solatium. Vbi vis morbi non nihil remisit, nihilo segnius quam antea ad labores rediit: adest interim medicus, qui explorato venarum pulsu Xaverium febre affectum deprehendit, eumque ministro magis quam quibus ministrabat, indigere, disertè pronuntiat; rogat proinde, uti lectulum reperat quiescatve, tantisper saltè quoad febris decideret: respōdet vir sanctus, proxima nocte negotiū sibi fore cum moribūdo quodā, cujus salus in periculo erat, eā tutiore in loco collocare si possit, enim verè tunc se quietē captaturū; egressus, miserimum
 hominē

homuncionē temerē in publico ja-
centē reperit, omni ope solatioq; de-
stitutū: quid agat? rāquā alter Sama-
ritanus languentē asportat in taber-
naculū suū, id est in valetudinarium
(nā & ipse curabatur in publico va-
letudinario pari cū cæteris cōditio-
ne) eumq; nihil cūctatus, in lectulo
suo collocat, humi ipse, si ita usus tu-
lerit, cubaturus. Ea Amici fidelis be-
nignitas videtur nō caruisse miracu-
lo: nā cūm æger ille phrenesi labo-
rās prius deliraret, postquā S. Fran-
cisci grabatū attigit, ad mentis sani-
tatem illico rediit, &, quod aiebat
maximē Xaverius, vitæ antea actæ
peccata omnia salutari confessione
expiavit, tandemq; sacramentis aliis
ritè procuratis, bonæ spei plenus,
eadē die vivere desit. Tum verò li-
quidò apparuit cur tantoperē de æ-
gro illo laboraret; quia nimirum ei,
non vitæ dūtaxat, sed & salutis præ-
sentissimū periculum imminēbat. Et
dubitari poterit an verus & sincerus
amor ille fuerit, qui Xaveriū in curā-
dā salute aliena usque adeò suæ red-
didit immemorem? B 2 At,

At, quid hominis erat ille pro quo
 tantoperè sollicitus erat? erat, in-
 quit, vitæ ejus scriptor, ultimæ for-
 tis nauta, qui ex febre infaniēs, non-
 dū peccata sacra confessione expia-
 verat. Discamus & hoc à B. Xaverio,
 nēpe, & Amici fidelis pallium nō de-
 bere esse tam breve ut duos operire
 nequeat; sed ejusmodi ut pauperes
 æquè atq; divites; ignobiles peræq;
 atq; nobiles amplissimo caritatis sinu
 complectatur. Sunt qui divitū nobi-
 liūq; ægrotantiū limina, frequenter;
 pauperum verò, rarerè conterant:
 quasi animæ illæ, carius; hæ verò, vi-
 lius æstimentur. Nōne omnes uno
 eodemq; JESU. CHRISTI redemptæ
 sanguine? credo ego, pannis viliori-
 bus, minora; purpurâ verò & bysso,
 majora plerumq;, crimina obvelari.
 Ut ut est, Christus Dominus ad Cē-
 turionis servulū prōptius, quàm ad
 Reguli moribundū filium profectus
 est. Dei sui exemplo Beatus Xaveri⁹,
 ut quisque moribundorū erat miser-
 rimus, & ope humana maximè desti-
 tutus; ita ad illū adibat frequentissi-

mè, diurnis officiis vigilias nocturnas adungebat, & ut canonizationis ejus Bulla loquitur, veluti à cōmissa custodia, nec die, nec nocte discedebat. Hic ergo, Amici fidelis, sincerique amoris lapis lydius esto: præsto esse ei, qui, quo amorem tuū invitet, speciosius habet nihil quàm ulcera; nihil potentius, quo affectū tuum sibi conciliet, quàm miseriarū atque ærumnarum mille plaustra.

§. V. Nonnulla alia ab Amico fideli in gratiam ægroti præstanda.

Curabit ut in ægrotantis cubiculo altum sit silentium. Non temerè quosvis ad alloquium admittet, sed eos dumtaxat, quorum consuetudine æger sublevetur.

Cavebit ne profanus ullus sermo ibi misceatur, imò parentum gemitus, amicorum complorationes visitationesque nimis crebras moderabitur. Omni præsertim studio & conatu arcebit eas personas, quarum aspectu peccandi affectus possit recalescere; quales sunt turpium olim

voluptatum, popinarum, alearumq;
focii, & id genus frugiperdæ.

Sacras imagines Christi Domini
crucifixi, Beatæ Virginis, vel Sancti
Angeli Tutelariorum ob oculos decum-
bentis apponi curabit. Vasculum i-
rem aquæ lustralis, quâ subinde æ-
ger, thalamusque adspargatur.

Tu bebbit moribundum totum jam
esse in spirituali animæ negotio pro-
curando, missa procul omni rei alie-
næ sollicitudine.

Suggeret decumbenti, prout con-
ditio exiget, breves, ac pietatis ple-
nas orationes; sive è Psalmis illæ, si-
ve è SS. Patrum libris depromantur:
sed id fiat cum ea moderatione, ut
audientem molestia non afficiat.

Monendus, ut quando mens adhuc
viget & ratio, fidei, spei, & carita-
tis, aliarumque virtutum actus sub-
inde eliciat.

Quòd si ita affectum viderit, ut e-
grè se ipse excitare queat, juvare ces-
santem poterit, atque ad eò verba
præire, vel hoc, vel simili modo.

In-

Interrogationes, quibus ager ad fidei, spei, caritatis, aliarumque virtutum actus eliciendos adjuvetur.

1. **E**Cquid ita animo comparatus es, ut firmiter credas, quæ De^o revelavit, & nobis per Ecclesiã Sãctam Catholicam & Romanam credenda proposuit? *Resp.* Omnino. Dic ergo mecum *Credo in Deum, & c.*

2. Nõnne fiduciam tuam omnem in Deo Jesu tuo defixisti? annuis: bonum factum. Nemo umquam in eo speravit, & confusus est. Quare & tu fidenter dicas: *In te Domine speravi, non confundar in aeternum. Quoniam tu Domine, singulariter in spe constituisti me. Quid ita: õ Domine, quia ego servus tuus, ego servus tuus, & filius ancilla tua Maria.*

3. Utinam mi Amice flagrantissimo illius amore inardescas! utinam ex vero dicamus cum Davide: *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deo vivo. Diligam te, Deus meus, diligam te, sed eo amore quo dixit te Mater tua, mater pulchra dilectionis: & quo amore te dili-*

*gunt in cælo Cherubini & Seraphini, beati
denique Spiritus, Sanctique omnes.*

4. Nōne verum est, & heu! verū
nimis, te Deum tuum optimū maxi-
mum multis criminibus offendisse?
verissimum: in multis quippe offen-
dimus omnes. Nōne doles ex animo
te eum ita offendisse, quem amore
summo prosequi debueras?

*Dic mecum, doleo: doleo mirissime Iesu,
Et dolor est me non posse dolere magis.*

Sed cur doles? an quia multis te ma-
lis ac ærumnis obnoxium peccando
reddidisti? cave sis ex illo fonte pro-
manet dolor: non enim tam tuā quā
Dei optimi causā dolere debes, id
est, quia Divina illius Majestas læsa
est, non quia tu pœnarum multarum
reus. Imò si sapiens, tuo te iudicio cō-
demnabis, pœnasque de te ipse justas
expetes; aut certè Divinæ Justitiæ
succensus zelo, dices cum Davide:
*Ego in flagella paratus sum. Et cū Au-
gustino: Hic ure, hic seca, modo in eter-
num parcas.*

Quod si ita bone Deus, gloriæ tuæ,

& salutem animæ meæ expedire iudicaveris, en vitam, en mortem meam manibus tuis trado; de iis arbitrato tuo dispone: Tantummodo fiat misericordia tua Domine super nos quemadmodum speravimus in te Sive enim vivimus, Domino vivimus, sive morimur, Domino morimur: sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus.

Age, modò, si Dominus Deus te pristinae reddiderit sanitati, nonne aliter vitæ tuæ rationes institues, majorique ad perfectionem studio adspirabis?

Nihilne modò superest cuius recordatione angatur animus? non. Si quid esset ecquid paratus esses Sacerdoti aperire, & ab eo absolutionem postulare? dic ergo: *Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce servo tuo. Delicta juventutis meæ & ignorantias meas, ne memineris Domine. Ne reminiscaris Domine delicta mea, vel parentum meorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris Parce, quaeso, parce mihi quem redemisti pretioso sanguine tuo, ne in eternum irascaris mihi.* B 5 Plu-

Plures ejusmodi, aliarumque virtutum actus afferemus, cum ostendemus, quâ ratione resistendum sit dæmonis tentationibus.

§. VI. *En dologia morbi tempore identidem animo pertractanda.*

I.

Domine Deus meus amabilissime Jesu, propter amorem tuum, & ad majorē divinæ Majestatis tuæ gloriā, suscipio de paternam manu tua omnes ac singulos hujus morbi dolores, tanquam tibi in me beneplacētes, eosque ut tales amplector, & exosculor: & in illis simul adoro, amplector & exosculor divinum æternumq, beneplacitum tuum, & in illo mihi benè complaceo.

Multiplicem sensum habere potest illud, Propter amorem tuum: nempe ut idē sit quod. Quia me sic amasti & amas, & ut magis in posterum ames: vel, quia te amo & amare volo, & ut magis deinceps amen.

II.

Domine Deus meus Dilectissime Jesu, propter amorem tuum, & ad

ma

majorē divinæ Majestatis tuæ gloriam, suscipio de paterna manu tua omnes ac singulos hujus morbi dolores, tamquam totidem guttulas calicis tui, quem in passione pro me bibisti, & mihi propinasti; tamquam sacras amaritudinis illius tuæ reliquias: eosque dolore ut tales amplector & exosculor, & tecum dico, utinam eodem resignationis sensu! Si non possunt hæ guttulæ transire nisi bibam illas, fiat voluntas tua. Calicē hunc tuum, quem dedisti mihi, Domine Jesu, non bibam illum? Calicem, quem labia & oscula tua divinā suavitare perfuderunt: calicem, quē ipse prior ebibisti, relictis dumtaxat in fundo acerbitatis aliquot guttulis, iisque cælesti dulcedine temperatis: nempe ut, in benevolentia significationem, haberes quod, vel sic, de calice tuo mihi propinares. Et nō bibam has guttulas? Imō si ita vis; nō illas modō, sed totum ipsum calicem passionis tuæ tecum exsorbere sum paratus.

III.

Domine Deus meus amantissime
 Jesu, propter amorem tuum, &
 ad majorem divinæ Majestatis tuæ
 gloriam, suscipio de paterna manu
 tua omnes ac singulos hujus morbi
 dolores, tamquam, totidem parti-
 culas internæ illius & gravissimæ
 Crucis tuæ, cui toto vitæ tempore,
 ac præsertim moriens affligi volui-
 sti: eosque dolores ut tales ample-
 ctor & exosculor. Beatum me, cui
 crucem hanc tuam corpori meo in-
 fixam, velut sacrâ inclusam theca
 portare, ac medullitus amplecti &
 exosculari contingit! Salve crux
 pretiosa, quæ in Christi corpore de-
 dicata es, & ex membris ejus tan-
 quam margaritis ornata. Suscipe me
 discipulum ejus qui pependit in te:
 ut per te merecipiat, qui per te me
 redemit. Absit mihi gloriari nisi in
 hac Cruce tua, domine; in qua te pro
 me crucifixū cū omnibus vulneribus
 ac dolorib⁹ tuis simul auro; ample-
 ctor & exosculor, & in qua coextēdi
 & con-

& configi tibi desidero clavis amoris,
& lanceam charitatis tuæ lauciari:

IV:

Domine Deus meus patientissimæ
Jesu, propter amorem tuum,
& ad majorem divinæ Majestatis
tuæ gloriam, suscipio de paterna
manu tua omnes ac singulos hujus
morbi dolores, tanquam totidem li-
neamenta & expressiones imaginis
tuæ, cui me conformem, fieri ab æ-
terno prædestinasti: eosque dolores
ut tales amplector & exosculor, &
simul in illis, hoc est, in illa cui ima-
gine, tanquam prototypum adoro,
amplector, & exosculor te Domi-
num meum pro me afflictum & vul-
neratum. Amplector item & exoscu-
lor eosdem dolores velut sacra vul-
nerum tuorum stigmata, velut im-
pressa in me vestigia flagellorum,
spiniatum, ac reliquorum tormento-
rum tuorum. Utinam eodem amoris
sensu, tua ista stigmata in corpore
meo

meo portem , quo Paulus Marty-
resque innumeri ; & perinde ac si,
ut Francisco, Catharinae aliisque a-
micis tuis , ita & mihi in pedibus,
manibus & latere illa impressisses!
Equidem iis in partibus impressa
porto , in quibus si minus clavis ac
lanceâ , at aliis certè cruciatibus
fauciatus fuisti.

V.

Domine Deus meus amicissime
Jesu, propter amorem tuum, &
ad majorem divinæ Majestatis tuæ
gloriam , suscipio de amantissimo
corde tuo omnes ac singulos hujus
morbi dolores , tamquam dolores
quos olim in corpore tuo præsentire
dignatus es . nam (ut ait Prophe-
ta) Verè languores nostros ipse tu-
listi, & dolores nostros ipse portasti:
eosque ut tales amplector & exof-
culor ; nempe velut divino actu
tuo consecratos, velut sanctificatos
in patientissimo corde tuo & sacris
vulneribus tuis. Et quandoquidem
eisdem

eosdem hujus morbi mei dolores non portaris modò, sed & amplexus & osculatus fueris; amplector illos & exosculor velut amplexuum & osculorum tuorum suavitate perfusos, & simul in illis amplector illos ipsos amplexus tuos, ipsaque osculor & cordis tui exosculor.

VI.

Domine Deus meus dulcissime Jesu, propter amorem tuum, & ad maiorem divinæ Majestatis tuæ gloriã, suscipio de amantissimo corde tuo omnes ac singulos hujus morbi dolores, tamquam totidem arrhas amoris erga me tui, tamquam vestem & annulum nuptialẽ, quibus in crucis thalamo me tibi desponsas, ô sanguinum Sponsæ: eosque dolores ut tales amplector & exosculor: & in illis simul adoro, amplector & exosculor te Spõlum animæ meæ. Amplector, inquam, & exosculor hos dolores meos, ut annulum quem amoris non modò in me tui, sed & in te mei

testem esse volo, ac ac sibi in æ-
 ternum. Amplector & exosculor il-
 los, ut flammeum tuæ pariter ac
 meæ charitatis: ut purpuram sangui-
 ne tuo tinctam, quam de effusis per
 vulnera pietatis visceribus, velut de
 bombycino subtegmine, (nam ver-
 mis esse dignatus es pro nobis) mihi
 texuisti, & corpori meo aptasti. Uti-
 nam hoc nuptiali dolorum apparatus
 placere possim in oculis tuis, & de-
 lectare dulcedinem amantissimi cor-
 dis tui!

VII.

Domine Deus meus, benignissime
 JESU, propter amorem tuum, &
 ad majorem divinæ Majestatis tuæ
 gloriam, suscipio de amantissimo
 corde tuo omnes ac singulos hujus
 morbi dolores, tamquam portiu-
 culam hæreditatis a te Parente opti-
 mo, Viro dolorum & sciente infir-
 mitatem mihi relictam. eosque do-
 lores ut tales amplector & exoscu-
 lor.

lor; & in illis simul adoro, amplector & exosculor novum & æternū testamentum tuum, quo filios tuos hæredes instituisti dolorum tuorum, mihi que hanc sigillatim porriunculam aspersisti. Adoro, inquam, amplector & exosculor in iisdem doloribus meis ultimam hanc erga me voluntatem tuam, conscriptam morientis sanguine, obsignatam vulnibus, ipsaque crucis morte firmatā.

VIII.

Domine Deus meus suavissime Jesu, propter amorem tuum, & ad maiorem divinæ Majestatis tuæ gloriam, suscipio de amantissimo corde tuo omnes ac singulos hujus morbi dolores, tamquam vocem tuam, vocem, inquam, pulsantis, & ad se vocantis me Sponsi: eosque ut tales amplector & exosculor. Ecce venio ad te Domine Jesu: venio per vestigia pecum tuorum. Suscipe me intra vulnera tua, intra sacrarium

C ; aman-

amantissimi cordis tui ; ibique me
me absconde & protege, donec ani-
mam meam dignam effeceris, quæ
post hanc vitam incurrat in ample-
xus tuos, osculumque æternæ pacis
accipiat. Amen.

C A P U T II.

*Quomodo inducendus eger ad Ec-
clesia Sacramenta ritè ob-
eunda.*

§. I.

*Amicus fidelis inducere conabitur
agrum ad tempestivam con-
fessionem.*

AMicus fidelis, agrotantem sua-
viter & fortiter inducet ad pec-
catorum suorum confessionem salu-
tariter obeundam: ne, quod sæpè ac-
cidit, quando maximè necessaria
est, minus accuratè fiat. Quando e-
nim decumbit corpus dolere jam
evictum,